

[8] 4 Crēscēbat interim urbs mūnitiōnibus alia atque alia appetendō loca, cum in spem magis futūrae multitudinis quam ad id quod tum hominum erat mūnīrent. 5 Deinde nē vāna urbis māgnitūdō esset, adiciendae multitudinis causā vetere cōnsiliō condentium urbēs, quī obscuram atque humilem concierendō ad sē multitudinem nātam ē terrā sibi prōlem ēmentīebantur, locum, quī nunc saeptus dēscendentibus inter duōs lūcōs <ad laevam> est, asyllum aperit. 6 Eō ex finitimīs populīs turba omnis sine discrimine, liber an servus esset, avida novārum rērum perfūgit, idque primum ad coeptam māgnitudinem rōboris fuit. Cum iam vīrium haud paenitēret, cōnsilium deinde vīribus parat. 7 Centum creat senātōrēs, sīve quia is numerus satis erat, sīve quia sōlī centum erant quī creārī patrēs possent. Patrēs certē ab honōre patriciūque prōgeniēs eōrum appellātī.

[9] Iam rēs Rōmāna adeō erat valida, ut cuilibet finitimārum cīvitātium bellō pār esset; sed pēnūriā mulierum hominis aetātem dūrātūra māgnitūdō erat, quippe quibus nec domī spēs prōlis nec cum finitimīs cōnūbia essent. 2 Tum ex cōnsiliō patrum Rōmulus lēgātōs circā vicinās gentēs mīsīt, quī societātem cōnūbiumque novō populō peterent: 3 urbēs quoque, ut cētera, ex infimō nāscī; dein, quās sua virtūs ac dī iuvent, māgnās opēs sibi māgnūque nōmen facere; 4 satis scīre, orīginī Rōmānae et deōs adfuisse et nōn dēfutūram virtūtem; proinde nē gravārentur hominēs cum hominibus sanguinem ac genus miscēre. 5 Nusquam benīgnē lēgātiō audīta est: adeō simul spernēbant, simul tantam in mediō crēscēntem mōlem sibi ac posterīs suīs metuēbant. Ac plērīsq̄ue rogitantibus dīmissī, ecquod fēminīs quoque asyllum aperuissent; id enim dēmum compār cōnūbium fore.

6 Aegre id Rōmāna pūbēs passa, et haud dubiē ad vim spectāre rēs coepit. Cuī tempus locumque aptum ut daret Rōmulus aegritūdinem animī dissimulāns lūdōs ex industriā parat Neptūnō equestri sollemnēs; 7 Cōnsuālia vocat. Indīcī deinde finitimīs spectāculum iubet; quantōque apparātū tum sciēbant aut poterant, concelebrant ut rem clāram exspectātamque facerent.

8 Multī mortālēs convēnere, studiō etiam videndae novae urbis, māximē proximī quīque, Caeninēnsēs, Crustumīnī, Antemnātēs; 9 iam Sabīnōrum omnis multitudō cum liberīs ac coniugibus vēnit. Invītātī hospitāliter per domōs cum situm moeniaque et frequentem tēctīs urbem vīdissent, mīrantur tam brevī rem Rōmānam crēvisse.

10 Ubi spectāculī tempus vēnit dēditaeque eō mentēs cum oculīs erant, tum ex compositō orta vīs sīgnōque datō iuventūs Rōmāna ad rapiendās virginēs discurrit. 11 Māgna pars forte in quem quaeque inciderat raptae: quāsdam fōrmā excellentēs, prīmōribus patrum dēstinātās, ex plēbe hominēs, quibus datum negōtium erat, domōs dēferēbant. 12 Ūnam longē ante aliās speciē ac pulchritūdine īnsīgnem ā globō Thalassī cūiusdam raptam ferunt multisque scīscitantibus, cuīnam eam ferrent, identidem, nē quis violāret, Thalassiō ferrī clāmitātum; inde nuptiālem hanc vōcem factam.

13 Turbātō per metum lūdīcō maestī parentēs virginum profugiunt, incūsantēs violātī hospitī foedus deumque invocantēs, cūius ad sollemne lūdōsque per fās ac fidem dēceptī vēnissent. 14 Nec raptīs aut spēs dē sē melior aut indīgnātiō est minor. Sed ipse Rōmulus circumībat docēbatque patrum id superbiā factum, quī cōnūbium finitimīs negāssent; illās tamen in mātrimōniō, in societāte fortunārum omnium cīvitātisque et, quō nihil cārius hūmānō generī sit, liberum fore; 15 mollīrent modo irās et, quibus fors corpora dedisset, darent animōs; saepe ex iniūriā postmodum grātiam ortam; eōque meliōribus ūsūrās virīs, quod adnīsūrus prō sē quisque sit ut, cum suam vicem fūctus officio sit, parentium etiam patriaeque expleat dēsīderium. 16 Accēdēbant blandītia virōrum, factum pūrgantium cupiditāte atque amōre, quae māximē ad muliebre ingenium effīcācēs precēs sunt.